

& XX.

63. Sunt ergo initio facienda bona opera respectu Dei, partim ut nostram obedientiam & vita sanctimoniam ipsi præstemus, 1. Thess. 4, 7. Partim ut glorificetur pater cœlestis ab hominibus videntibus bona nostra opera Matth. 5, 16. partim denique, ut aliquo modo nostram pro beneficijs in nos collatis inenarrabilibus, gratitudinem declaremus Tit. 2, 11. & 12.

64. Sunt deinde etiam facienda bona opera respectu proximi, ut eum, si fidelis est, non offendamus 1. Cor. 10, 32. Matth. 18, 6. si infidelis & hostis religionis Christianæ, improbitate ac impietate nostra non magis exasperemus Phil. 2, 15. 1. Pet. 2, 12. 1. Pet. 3, 1.

65. Tertio respectu nostri ipsius studendum bonis operibus: ut de fide vera, in nebris habitante, publicè testemur, Iac. 2, 20. 2. Pet. 1, 8. Deinde ut iram Dei, & pœnas malis operibus debitas vitemus: Deus enim ultor malorum omnium, 1. Thess. 4, 6. Rom. 8, 13. Col. 3, 6. Contra verò illius retributionis reddamur participes, quæ facientibus bona opera Deus promisit, non in hac tantum, sed & in futura vita 1. Tim. 4, 8. Psal. 41, 2. Matth. 25, 34.

66. Quæ tamen retributio non ipsam vitam æternam complectitur. Hæc enim est donum Dei 1. Rom. 6, 23. sed gloriam in illa respicit; & gloria illius gradus, 1. Cor. 15, 41.

Id